
ACTA
UNIVERSITATIS
LEOPOLITANÆ
IN GALICIA
ANNO MDCCLXXXIV. INAUGURATÆ.



Prixner del: et Sculp: Leopoli.

LEOPOLI
LITERIS THOMÆ PILLER, ARCHIEPISCOPALIS TYPOGRAPHI 1786.

Tu civem, patremque geras, Tu consule cunctis, Non Tibi, nec Tua Te moveant, sed publica vota. (a) Hæc profecto a Nobili poeta non tam de Honorio Augusto, quam de JOSEPHO II. Imperatore dicta fuisse crederes. Quidni! Certe Josephus Augustus cum Anno MDCCLXXXIV. die XVI. Novembris Universitatem Leopolitanam in Galicia instaurari, inaugurarique juberet, se propriis rebus posthabitis curam agere publicarum, palam ostendit. Et cum id facit, profecto nil magis recte facit: *hanc namque esse summam illam virtutem, viamque, qua cœlum petitur*, Seneca in Octavia testatum reliquit. Ego pridem in Manuscriptis illis, quæ in prædicta Universitatis Leopolitanæ inauguratione edita fuere, complura tantæ virtutis, ac laudum istarum argumenta & vidi, & legi. Et revera Excellentissimus Dominus Comes de Brigido hac in functione Cæsareo - Regius Ablegatus quanto in patriam amore feratur, quantaque suum Principem observantia co-

 lat,

(a) Claudian. de 4. consulat. Honorii Augusti.

lat, & revereatur, publice testatus est; porro Excellentissimus Dominus Venceslaus de Betański Episcopus Premisliensis, & Rector Universitatis quum peroraret boni civis juxta ac pii sacerdotis præbuit de se exempla clarissima; demum ne huic Solemnitati quicquam deesset D. Joanni Bapt. Finsiger Facult. Theolog. Decano ut spartam quam ad texendam orationem, nactus erat, pro virili ornaret, injunctum est. Sed cui bono plura! Ipsamet Scripta quæ typis, publicæque luci nunc mandantur, sunto & Auctorum ipsorum & totius civitatis Leopolitanæ, populique Galiciani æternum vere filialis erga Optimum Principem, observantiæ, pietatisque munimentum.

EDITOR.

ORATIO

ORATIO
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI DOMINI
COMITIS DE BRIGIDO
CÆSAREO-REGII ABLEGATI.

Si omnis populorum ſub civili imperio congregatorum ſpes in patriæ juventutis flore conquieſcit, dum in eadem futuros juſtitiæ, innocentiæque defenſores, atque omnis legis peritos magiſtratus pro ſalute concreditarum ſibi ovium vigiles paſtores, magnanimos pro tuenda Patria Heroes, uti in excogitandis æquiſſimos ita in diſpenſandis fidiſſimos regiorum cenſuum curatores, prudentiſſimos negotiorum publicorum, ſanctiorisque conſilii Miniſtros, cives denique pro conditione quemvis ſua ad ſocietatis bonum promovendum aptiſſimos, lætis jam nunc oculis intuentur; profecto cum non naſcendo, ſed inſtituendo his ſpebus aptemur, dubitandum non eſt, tantum præſidii, tantumque communis boni in ſcientiarum, bonarumque artium ſtudiis poſitum eſſe, ut ex his velut totidem uberrimis fontibus publica omnis felicitas dimanet. Quare Principes retro omnes nominis immortalitate donati, ſummasque Imperii

curas cum juventutis patriæ cultura ita ſemper conjungendas eſſe exiſtimarunt, ut hac neglecta parum ſe ſaluti civium conſuluiſſe arbitrarentur; Sacra vero, Cæſareaque Majeſtas, Auguſtiſſimus Imperator Noſter in ſummum Regnorum ſuorum & præſertim Galiciæ bonum vigili ſemper oculo intentus eo in loco bonas artes atque ſcientias conſtitutas eſſe deſiderat, a quo vim ſuam omnem, quam habet, maximam, exercere poſſint. Scilicet: ſi rupto pulcherrimo, quo copulantur, nexu, per incertas ſolum ſedes errantes, privatarum inſtitutionum diverſitati, ac diſſimilitudini relinquantur, ſi neglectis infallibilibus, quibus nituntur, principiis, prælibatis quibusdam velut avium more e praxeos fonte gutulis, ſcientiarum nomine honorantur, ſi aut ſciolorum vane de ſe præſumentium mediocritati, aut novandarum opinionum libidini, aut pertinaci antiquorum prædilectioni ſubjiciantur, ſi jugo paupertatis preſſæ ac neceſſariis adminiculis deſtitutæ civium opem menſasque implorent, ſi incultæ atque omni honoris gradu privatæ amatores ſuos arceant potius quam alliciant; tantum abeſt ut felicitati Reipublicæ opitulentur, ut certam etiam perniciem atque exitium minitentur.

Ad quamdam igitur Reipublicæ vel imperii litterarii ſpeciem, unde ſaluberrimæ ad earum incrementum, ipſiusque doctrinæ ordinem leges dantur, conformandæ, Magiſtratibus, dignitatibusque ornandæ, privilegiis muniendæ, redditibus ſunt ampliandæ; certa, regiaque, quia Regum ac Principum ſunt ornamenta, iisdem ſedes figenda eſt, neque ulla ſive divina

ſive

five humana, quæ aut rationi excolendæ, aut Religioni, justitiæque firmandæ, aut civium five utilitati, five honestæ voluptati procurandæ inserviat inde est excludenda, ut qua quisque in arte publicæ felicitati promovendæ se parem existimat, in eadem viros peritissimos, magistrosque optimos, a quibus erudiatur, inveniat.

Atque istud est, quo festivus hodiernæ diei adspectus, atque omnis inaugurandæ Reipublicæ litterariæ solemnitas spectat; quo Clementissimus, & Augustissimus Cæsar Josephus II. collectos ex omnibus, qua late patent Regnis, Viros in omni scientiarum genere versatissimos suis & dignitatibus, & Magistratibus distinctos, hoc est Universitatem velut omnium scientiarum sedem in Principe hac Galiciæ Urbe constituit, eandem gloriosissimo suo Nomine insigniri, & in æternum accepti beneficii monimentum JOSEPHINAM dici admittit, peculiaris subselii dignitate, seu Senatus auctoritate, insignibusque propriis illustrat, librorum selectissimorum copia, antiquitatum eximia collectione, velut proprio remotioris historiæ fonte, musæorum, sive mechanicorum, sive physicorum insigni adparatu, anatomico, chemicoque instrumentorum theatro, botanico ut dicimus, horto, non voluptatis aut deliciarum, sed utilium medicamentorum & herbarum peregrinarum seminario -- -- verbo, omnibus & ad erudiendam juventutem, & ad Doctorum commoditatem & ad scientiarum incrementum subsidiis ditat atque exornat, hasque innumeras velut in uno beneficio collectas gratias Regio, Cæsareoque Diplomate confirmat.

Ad quorum majorem fidem ut accepti beneficii gratia ad Omnium Ordinum notitiam perveniat, ipsa Diplomatis verba legantur.

(Legitur Diploma per Consiliarium Gubernii ad hoc selectum.)

POST-LECTUM DIPLOMA.

Jam vero cujusnam fidei novam hanc Universitatem, unaque concessa jura ac privilegia Sacræ, Cæsareæque Majestatis Nomine primum committam? nisi Tuæ Excellentissime, Illustrissime, ac Reverendissime Domine, qui quemadmodum quondam ob spectatam Tuam prudentiam, pietatem, religionem, & egregia in utramque Rempublicam merita, episcopali, quam ornas, dignitate, unanimi & Ecclesiæ, & Cæsaris judicio ornandus videbaris! ita nunc concordibus doctissimorum virorum votis dignus inventus es, qui Primus novæ huic Josephinæ Universitati summa cum potestate præficereris.

(Traditur Diploma.)

Accipe igitur Rector magnificentissime Diploma hoc Cæsareum, sanctum, inviolabile, atque in omnes ætates valiturum a Josepho II. erectæ Universitatis Instrumentum.

(Traditur Sigillum.)

Accipe Universitatis Sigillum certissimum dignitatis, fideique publicæ testimonium.

(Traduntur Claves.)

Accipe denique claves Cæsareæ hujus Regiæque scientiarum sedis, signa Tuæ in omnem Rempublicam litterariam potestatis,

ſtatis, ut eam nonniſi dignis aperias, indignis vero, & invitæ Minervæ Alumnis occludere valeas.

Tu vero fidelis, & vel ex hoc uno felix Galicia, quod Te Cæſar Clementiſſimus tanquam relictam ſibi a matre glorioſiſſima, peculiaris gloriæ comparandæ ſegetem, quodam prædilectionis amore complectatur, atque ideo datis innumeris beneficiis, nova ſemper adcumulat; gloriare hoc Dono tuo, eoque tanquam novo vigilis ſuæ, & in omne non præſentium ſolum, ſed poſterorum quoque bonum unice intentæ, vereque paternæ ſolicitudinis argumento fruere. Novo dicebam: quin perpetuo, neque ulla temporis diuturnitate intermorituro, dicere oportebat.

Libet enim, neque poſſum oblata hac mihi, & fors non reditura, pulcherrima ad Auditorem ex omnibus Regni Ordinibus ampliſſimum de Principe meo loquendi facultate, præteritorum non meminiſſe, ut in beneficio, quod hodie accipitis non jam donum ſed dantis affectum intueamini, atque ita cognito ex continua rerum pro publica felicitate geſtarum ſerie, ſi ulli unquam illi certe quam maxime proprio Patris patriæ charactere, toti in Ejus Fidem atque obſequium non tam inflammemini, quam rapiamini.

Subjectas Clementiſſimo Sceptro ditiones omnes perluſtravit, ut quid cuivis ad felicitatem deeſſet, ſuis Ipſe oculis inſpiceret; Terras varietate locorum disjunctiſſimas peragravit, ut quæ

in quavis regiminis forma optima intelligeret, ſuas in terras inferret; aut infirmitate, aut vulnere, aut quæ corporum noſtrorum inevitabilis ſors eſt, ætate fractis civibus non domibus, ſed urbibus ſimilia generalia hoſpitalia erexit; inſuper habitis belli incommodis, & ipſo mortis periculo contemto, perſona propria velut muro pro Civium ſalute oppoſita non hoſtes ſolum fugavit, ſed quæ hoſtibus timenda ſunt magis, famis, peſtis, exundationum, flammarumque pericula coercuit; vere Cæſar, qui ut cives ſuos periclitari audit, venit; quo res loco conſtitutæ ſint, videt; viſis ſemper ita occurrit, ut metum omnem depellat. Quid dicam amplius: a ſervitutis vinculo exſoluta humanitas; non adprobata ſed tolerata Religionum diverſitas, quia ſublata odiorum, ac diſſidiorum facultas; abſoluta quanquam utraque, ad limites tamen proprios non ulceratis ut nefaſtis quondam ſæculis, ſed concordibus in commune Eccleſiæ, & Imperii bonum, animis, mutuosque inter amplexus reducta cum civilis, tum Pontificia auctoritas; nova ſubſelliorum forma, accelerata judicia, repleta æraria, aperti portus, aſt prohibita ſoli exterornm cupiditati ſervientia commercia; quanta, fideles Galiciæ populi, quanta pro publica populorum proſperitate providæ Principis curæ argumenta! ſed hæc vobis cum regnis omnibus auſtriaco ſceptro ſubjectis communis felicitas.

Verum nunquam eorum ex animis veſtris oblitterabitur memoria, quæ ni oculis ipſi veſtris crederetis, narrata, ficta forſitan exiſtimaretis. Vidiſtis enim Eum tertio in hac urbe commoran-

morantem, omniaque coram inſpicientem, & quæ ſive ad publicum ſive ad privatum cujusvis bonum pertinebant, coordinantem, & nova pene omnia excitantem, quæ vel priorum injuria jacebant, vel novam regiminis formam requirebant. Vidiſtis, amaviſtis, votis omnibus proſequuti eſtis.

Atque hæc vidiſtis quidem; verum fructus commorationis hujus uberrimos adhucdum & hodierna præſertim die ſtupetis; ſublatas ſcilicet viarum difficultates pene inexplicabiles, ripasque pontibus commiſſas, refroenatas foenoris injurias, juſtitiam ita conſtitutam, ut ſi cætera, quibus fruimini commoda, liberaliter concedant, hanc unam vicinæ gentes invideant; locatas cæſareis non modicis ſumtibus colonias; commutatas efficaciſſimo ad imitationem exemplo, in ruſticorum bona regales terras; ſubmiſſos omnis opificii gnaros artifices, exinde multitudinem populi, quæ gloria eſt Principum, & felicium regnorum argumentum, jam pluribus millibus auctam; excitata in diverſis regni partibus Gymnaſia; generalia utriusque ritus clericorum ſeminaria, refloreſcentis Religionis ſpes & decora; in ſcholis a norma dictis primis omnium ſcientiarum rudimentis imbutam infantiam, neque hebræorum prolibus inde repulſis, ut a provida Principis cura neque ſubditorum ultimos excludi diſceretis; denique quæ ad dignitatem & communis boni amplitudinem primum forſan dicenda fuiſſent, peculiari a viris antiquitate generis ac majorum gloria inclytis collecto Ordinum aut Statuum imperii concilio, auctoritatem Nobilitati concilia-

tam, & inauguratam hodierna die & Doctorum eruditissimorum numero, & subsidiorum copia, & quanquam abessent cætera, quæ tamen sunt uberrima, vel solo JOSEPHI Nomine celeberrimam Leopolitanam Universitatem.

Hæc tot, & tanta sunt, ut neque iis enarrandis oratio sufficiat, neque ea conficiendi celeritate, nondum elapso scilicet quarto regiminis anno ab uno Principe perfecta fuisse intellectus comprehendat, aut si rerum gestarum copiam cum annorum numero componat, non ab alio certe quam a JOSEPHO II. MAGNÆ THERESIÆ FILIO proficisci potuisse intelligat; qui Matris exempla sequutus, cognitionem, industriam, curam, mentem denique omnem in unum subditorum sibi populorum bonum intentam gerens, communem eorum felicitatem non procurare solum, sed firmare etiam, sed quantum quidem mortalibus assequi licet, æternitati quoque coæquare desiderat; ita quidem, ut quæ communis amantium est conditio, paternus hic affectus, angusti quo cor circumscribitur, limitis impatiens, perrupto veluti repagulo in apertas flammas, amoris indices erumpat, sic de seipso, proprio ad singula subsellia submisso chirographo contestans: *Mihi quidem certum, persuasumque est, Populum non in meum, sed me in populi commodum constitutum, atque adeo utilitatem civium, subditorumque meorum felicitatem meis vel commodis vel auctoritati esse anteferendam:* verba dignissima sane quæ non nostris solum cordibus, sed omnium regnorum, imperiorumque thronis caractere nunquam delebili

lebili insculpantur, ut ad omnium populorum memoriam perveniant.

Agnoscimus certe hunc TUUM in nos animum CÆSAR CLEMENTISSIME! (dabis enim, ut persona, atque auctoritate TUA, qua me hodie ornas, tantisper seposita, pro nostra & populi meæ curæ concrediti fide vadem præstem) agnoscimus hunc TUUM in nos animum, qui TIBI præ reliquis uni gloriosum Patris patriæ Nomen deberi demonstrat. Neque (concede verbo veniam) neque Cæsarea TUA Fide interposita contestari opus fuerat, quod Facta singula loquebantur. Agnoscunt populi, terræ, regna omnia, & cumprimis prædilecta TIBI Galicia, quæ Clementissimo Throno TUO advoluta pro paterna & in omne ipsius bonum indefessa solicitudine, vitam, sanguinem, se suaque omnia, ac masculam præsertim juventutem, quam singulari hodie beneficio ornasti, in perpetuæ, neque ulla unquam temporis vetustate emoriturae gratitudinis testimonium, TUIS iterum obsequiis offert ac consecrat; gloriosissimo vero Nomini TUO promeritam toties immortalitatis gloriam eo certius asserturam pollicetur, quo certius illud est: Principum Nomina non manantibus hostium sanguine trophœis, aut fumantibus, quos adulatrix invenit antiquitas, avis, aut æternitati durationem minitantibus statuis atque colossis, sed gratis subditorum cordibus tanquam vivis acceptorum beneficiorum monimentis inscripta, quam felicissime in omnem posteritatem transmitti. Neque enim aera, aut marmora, sed patres filiis adulationis nesciam veritatem, hoc est NOMEN TUUM laudesque loquantur.

ORATIO

EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI DOMINI VENCESLAI DE BETANSKI

EPISCOPI PREMISLIENSIS ET UNIVERSITATIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI CORAM EXCELLENTISSIMO, AC ILLUSTRISSIMO DOMINO CÆSAREO-REGIO ABLEGATO IN PUBLICA FUNCTIONE HABITA.

Quam me felicem exiſtimo, dum in hoc cœtu, ſcientia, eruditione, diſciplinisque liberalibus ornatiſſimorum virorum, Te Excellentiſſime ac Illuſtriſſime Domine ſuffragante, tanquam primarium ejus electum membrum, cum, inquam, ego exiguis ad iſtam dignitatem meritis conſpicuus hoc loci comparere, teque auctoritate Auguſti Cæſaris Domini Domini Noſtri Clementiſſimi decoratum, ad hunc vero actum uti Commiſſarium imperialem ſpecialiter deputatum ea, qua expedit, obſervantia ſalutare valeam. Accepto, & recipio debita cum humilitate, totius areopagi nomine donum pretioſiſſimum Auguſti Cæſaris, videlicet diploma cum omnibus inſignibus, juribus, & prærogativis Joſephinæ Univerſitati Clementiſſime conceſſis, pro qua gratia gratiſſimi animi memoriam in perpetuum pollicemur.

For-

Fortunata ſane dies iſta eſt, cum veluti quoddam omen & auſpicium communis omnium lætitiæ per Te, Illuſtriſſime ac Excellentiſſime Domine! ſit futura, poſtquam enim ampliſſimum iſtud novumque opus gratiæ & bonitatis, Cæſaris Auguſti opus, genti Galicianæ & Lodomerianæ utiliſſimum, ſedem videlicet ſcientiarum & liberalium artium præclaram ac celebrem Univerſitatem, admiranda ejus fundatam cura & munificentia, nobis repræſentas. In has extemplo ſumma cum jucunditate cogitationes rapimur: fore nimirum procul dubio, ut in eadem Univerſitate tam nos, quam ſucceſſores noſtri gratiſſimi, zeloſiſſimique ſuarum exiſtimant partium Magni Joſephi celebrare ſummam beneficentiam, ſapientiam, celebrare reſtauratorem litterarum, ſubditarum ſibi nationum æquiſſimum moderatorem, celebrare cum admiratione præclara ejusdem geſta, extollere laudibus ejus incredibilem clementiam, piiſſimum in reformanda eccleſiæ diſciplina zelum, in ſaluberrimis ferendis legibus dexteritatem, providiſſimam ejus circa bonum commune, iſtamque puriſſimam mentem, verbo, prædicare Eum ut patrem omnium, ut Cæſarem benigniſſimum, ipſisque hac in parte Trajanis, Aureliis, Antoninis majorem. Fateor tandem, Illuſtriſſime ac Excellentiſſime Domine! curam Tuam & ſolicitudinem circa inſtitutionem hujus Joſephinæ Univerſitatis fuiſſe efficaciſſimam. Vides nos hic gratiſſimi animi ſenſu perfuſos: Tuum nomen, Tua erga Magnum Joſephum fidelitas & in rebus gerendis zelus & dexteritas, Tua probitas, & erga gentem galicianam propenſio gratam memoriam animis infixam relinquet immemorialem.

ORATIO

ORATIO

ALTERA GRATIARUM ACTORIA EJUSDEM EXCELLENTISSIMI EPISCOPI IN PALLATIO EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI CÆSAREO - REGII ABLEGATI DICTA.

Firmata institutione Universitatis Josephinæ scientiis, gloriæ, & felicitati optimæ nationis galicianæ consecratæ restat, ut in hoc nobilissimo cœtu Procerum, Magnatum Primariorum Status Regni, & Tribunalium res publicas gerentium, ut, inquam, Tibi, Excellentissime ac Illustrissime Domine! Augusti Cæsaris auctoritatem repræsentanti animi mei sensum, una cum amplissimis, clarissimisque Viris, novam Universitatem complectentibus fideliter & debita cum observantia exponam: si enim interiorem animi scrutari licet sensum, videmus hic omnes Viros præstantissimos mirifica animorum jucunditate & gratitudine perfusos. Quis non cognoscit in hac nova fundatione Magni Josephi clementiam, & liberalitatem eo tendere tantum, ut præclaræ genti galicianæ nihil deesse videatur ad felicitatem suam in solidissimis fundamentis scientiarum, liberalium artium, & sapientissimarum legum stabiliendam & firmandam. Nostrum erit in hac Universitate, Fundatoris & Benefactoris Augusti hanc beneficentiam, & omnia magna ejus gesta

sta

ſta in exercitationibus noſtris publicis celebrare, & Ejusdem gloriam & virtutes faſtis publicis perpetuitati temporum conſecrare. Cum mihi itaque, membro quidem tenuiſſimo Joſephinæ Univerſitatis, hujus gratæ memoriæ initium dare provincia obtingit, & in hoc Magnatum nobilium, & Dignitariorum cœtu ornatiſſimo celebrare jus & fas exigit, idem non in exquiſitis dictionibus, verum autem in cordis ſimplicitate & veritate præſtare totum animum admoveo.

Rapit admiratio, rapit amor, pietasque grati animi ſenſum, & cogitationes noſtras in Magnum Joſephum, qui inſigni ſua providentia, munificentia, & bene faciendi ſtudio, doctrinam, ſacram eruditionem ut fundamentum omnium ſcientiarum & virtutum in hæc regna introducere nationem Galicianam & Lodomerianam illuſtrare, omnique modo fortunatiſſimam præſtare in abuſus & errores animadvertere, eosdemque corrigere, ac omnia ad gentis utilitatem, decorem & proſperitatem dirigere non deſiſtit. Habet enim præ oculis illud ſapientiæ divinæ oraculum: in ſcientia, virtute & æquitate ſtant regna & reges, ac principes juſta decernunt.

Neminem fugit, quanto ſtudio Joſephus Auguſtus a tenera ætate in ſcientiis, liberalibus artibus, in publicis exercitationibus probatus admirationem & laudem ſibi conciliaverit, qua opera Dei favore amoreque populorum ſcire imperare edoctus fuerit: ex his ſapientiæ præceptis animus ejus ita componebatur,

ut nulli rei ſtuderet magis, quam moribus Auguſta perſona dignis, nihilque deſideraret, niſi juſta, honeſta & cum æterna laude conjuncta.

Eadem diligentia litterarum ſtudiis erat intentus, in quantum iſtæ uſui forent Principi ad altiſſimum Majeſtatis faſtigium procreato.

Ut autem omnes imperandi artes caperet, exerceretque facilius, omnium temporum exempla inſpexit, diverſasque gentium linguas mira celeritate arripuit, nec non jura, quibus variæ nationes reguntur, perquiſivit, regna & ditiones fere omnes luſtravit, non vana curioſitate aut oſtentatione ductus, ſed ut mores, conſuetudines, leges, ſcientias, Majeſtatem Religionis, & quæ cultum divinum reſpiciunt, & magis promovere poſſunt, cognoſceret, & conſtitueret.

His imo regnis ea felicitas contigit, ut Joſephi Auguſti Galiciam & Lodomeriam ter jam peragrantis præſentem Majeſtatem oculis uſurpare licuerit, non in moleſta pompa & vana magnificentia ſpeciem ſuperbiæ præſeferente, ſed animi altitudinem & humanitatem docente exemplo.

Perpendamus nunc, Viri Perilluſtres ac Clariſſimi! quanta cum clementia, manſuetudine, affabilitateque Joſephus Auguſtus quotidie, & ubique omnibus apertum conceſſerit aditum, miſer-

miserrimis etiam præbuerit solatium & adjumentum sine ullo discrimine, si adeuntes ore vel scripto supplicarent, in audiendis enim eorum postulatis, cujuscunque ordinis, & fortunæ essent, mira facilitate, comitateque semper iis benignissimum se se exhibuit.

Quid autem majorem & perenniorem Augusto Cæsari attulit laudem, quam illa insignis adversus Patrem Augustum pietas, perpetuaque erga Matrem Augustam reverentia, dum per multos annos Rex, & Imperator atque Gubernaculi regnorum consors, & hæres toti mundo admirandum inusitatæ moderationis & filialis observantiæ exemplum dedit, nihilque sine auspiciis & auctoritate voluit, disposuit, suscepit, nisi quod Augustæ Matri magis probaretur.

Ab ejusmodi speciminis indole quid aliud, nisi magnum, nisi Deo, & hominibus carum expectare possumus a Josepho Augusto. Ipse enim ex Lotharinga regia gente antiquissima, bellicosissima, genus & sanguinem ducit. Neminem latet majorum suorum in rebus gestis sapientia, magnanimitas, in bellicis expeditionibus fortitudo tot Heroes, quot Principes exstitisse, gloriam immortalem posteritati relinquentes. Populi Lotharingiæ hodiedum grato animo recordantur, quam beneficos & caros habuerint principes.

Franciscus I. Cæsar Augustus divæ memoriæ, pater Magni Josephi a Deo electus est, ut in illo reviviscat Augusta stirps

 austria-

auſtriaca, firmiſſimis radicibus nitatur, & unam quaſi gentem efficiat. Hæc enim illa eſt ſtirps, quæ ab ipſo heroico ſæculo per plurimas temporum ſucceſſiones producta Majeſtatem nominis ſui latiſſime diffudit, quæ ſemper optimos patriæ Patres, Imperatores & Reges dedit, qui mentis altitudine & aliis divinis virtutibus magnum ubique nomen, reverentiam, admirationem, ac populorum amorem retulerunt.

Quantum Joſephus Auguſtus majores ſuos aſſequatur, geſta ejus & facta oſtendunt, univerſus orbis ea tanquam portenta & prodigia celebrat, atque profitetur tantæ ſapientiæ & perfectionis principem fuiſſe neminem.

Quam primum totum pondus gubernationis imperii, & tot regnorum humeris ſuis ſuſtinendum obvenit, prima & antiquiſſima Ei fuit cura, ut aulæ ſuæ imperialis res ſapientiſſime ordinaret, ad conſilium maximarum rerum adminiſtrandarum ad omnis generis dignitates & officia nonniſi viros ſelectos, prudentia, fide, & virtute probatos adhiberet, ut cultui divino, religionisque ſanctitati ſummum decus, & dignitatem redderet, ut defectus in rebus eccleſiaſticis, & civilibus tolleret, & corrigeret, ut eccleſiæ diſciplinam ad mentem canonum & conſtitutionum reduceret, & firmaret, ut diſſidia, & odia religionis in mutuam caritatem & concordiam converteret, ut dogmata veræ fidei foveret, & defenderet, ut exceſſus & vitia reprimeret, & caſtigaret, ut virtutes & talenta decoraret, & compenſaret,

ret, ut ſcientias & bonas artes foveret, promoveret, & amplificaret, ut inſtitutiones & fundationes bono, & commodo publico proficuas multiplicaret & locupletaret, ut non utiles ſubditos ad publicum eccleſiæ & ſtatus obſequium converteret, ut egentibus, & miſeris ſubveniret & provideret, ut commerciis ubique auctis, & extenſis ſummum vigorem præberet, ut in regionibus deſertis novos populos fundaret, & leges conderet. Hæc omnia & alia incredibilia Joſephus Auguſtus ſapienter, fortiter moderatur, dirigit, & gubernat, eique totum negotiorum pondus innititur, non alia ſubſtituta cervice, ſed ſuis viribus alto ſuo ingenio, indefeſſo labore, ita ut nihil tam reconditum, nihil tam arduum eſſet, quod non dexteritate expediret, & conſiliorum auctoritate efficeret.

Si præterea tantum valet prudentia, quod Plato vir ſapientiſſimus cenſuit, ut per ſe felicitatem homini comparet, & maxima imperia optime gubernet; quibus unquam laudibus ſatis ornari poterit ſingularis perfectaque Joſephi prudentia?

Quid dicendum de ſumma Auguſti potentia? de arte & ſtudio militari ad maximum perfectionis apicem perductis? ad quid iſta portenta omnia, niſi ad felicitatem & quietem noſtram ſecuram, perennemque præſtandam!

Perſpectas, & exploratas habemus igitur res omnes, magnitudine inauditas, in oculis noſtris verſantes, quæ, quo altius

exaltant ſæculi felicitatem, ita magis immortalem adjungunt gloriam Divo Joſepho. Noſtrum eſt, Viri perilluſtres, ac clariſſimi! ea omnia, nominatim celeberrimæ inſtitutionis hujus Univerſitatis ſolemnitatem faſtis notare, & gratiſſimæ memoriæ conſecrare.

Ad Te demum, Excellentiſſime ac Illuſtriſſime Domine! debita cum obſervantia ſermonem converto; vides nos omnes admiratione & grato animo perfuſos, Auguſti Cæſaris fideliſſimos ſubditos; fortuna, vita, felicitas noſtra in Ejus clementiſſima manu, & voluntate exiſtunt.

Tu, Excellentiſſime, ac Illuſtriſſime Domine! litterarum & doctrinæ protector! qui in tractandis negotiis tanta dexteritate, integritate & prudentia polles, qui humanitatis & benevolentiæ das omnibus ſpecimina, qui ardentiſſimis, fidelibusque obſequiis tam erga ſummum imperantem, quam erga gentem galiciarum communem exiſtimationem tibi nactus es, non deſine protegere & adjuvare naſcentem hanc Magni Joſephi Univerſitatem & ſcientiarum ſedem; non deſine docere, ut nos omnes in ſumma fide & obedientia animis noſtris alte infixa ſciamus placere Auguſto Cæſari Domino noſtro Clementiſſimo, pro cujus ſalute, & gloria preces noſtras ad Deum convertimus, benedictionesque cummulatiſſimas in Joſephum Auguſtum effundendas ore, & corde a divina Majeſtate efflagitare non ceſſabimus.

ORATIO

ORATIO
POSTREMA IN PRIMO UNIVERSITATIS CONSISTORIO HABITA.

Quo animorum conſenſu in eligendo me ad gubernacula cœtus veſtri, viri ampliſſimi! conſpiraſtis, eo pene ſtudio, gratique animi ſenſu, dignitatem iſtam ſuſceperam, non eam promeruiſſe exiſtimans, ſed illorum faventibus ſuffragiis ſuſcipere potuiſſe geſtiens, qui dum iſtud in me conferunt ornamentum ad partem me ſui honoris ac famæ invitant quodamodo. Nota mihi ſane, perſpectaque ſunt veſtra in hunc locum muſis conſecratum merita, quæ in vobis univerſa hæc civitas, univerſi horum regnorum ordines, præſertim vero viri illuſtriſſimi ad clavum regiminis conſtituti agnoverunt, ſuſpexeruntque. De quibus dubitare nedum per iſtam, qua fruimur, & qua ad nobiliſſimas tradendas facultates invitati eſtis, exiſtimationem communem non licet; verum libenti regiminis mihi collati ſuſceptione iisdem adſtipulari non ambitionis, ſed æquitatis erat. Et quorum, dum me quaſi conſortem atque præſidem elegiſtis, dubitandum potius eſt an hocce, qua me veſtra cumulavit benevolentia honore, jure merito potiar. Verum tantæ provinciæ arduitas ideo invitatum non deterruit, quod eo facilius ſuſtinen-

da

da videbatur, quo invitantes, eligentesque digniores & quo certius ii ſint, qui, ſi præeſſe ſibi voluerunt, eo ſtatim modo ſuum ad eam propriis humeris geſtandam jus probarunt.

Afficit me vehementer (ſemel adhuc fateor) perhonorifica iſta veſtri erga me ſtudii ſignificatio, perilluſtres, ac clariſſimi Decani! verum ſimul etiam quædam tenet ſpes allaboraturos vos pro omni, quo par erit modo, ut hocce cohoneſtatus munere ſummam ex vobis opem & auxilium ad digne obeundum habeam. Præclara iſta Univerſitas auſpiciis & cura Magni, Auguſtique erecta Joſephi niſi vos tantos nacta fuerit viros, qui omni virtute, eruditione, diſciplinisque excellunt, nusquam mihi polliceri auderem, honorem Rectoris eſſe mihi perlibenter geſtandum. Subiit cogitationi meæ vos quoque ad hujus honoris partem ac onus eſſe vocatos. Exiſtimabam, ex quo ſingulari Auguſtiſſimi Principis erga litteras munificentia in hoc eſtis proviſi loco, ex quo ſuprema Ejus nobilibus vos præfecit facultatibus voluntas, eo ordine diligentia & ſtudio commiſſas vobis iri tractatum ſcientias, quæ menti Auguſtiſſimi Cæſaris ad amuſſim reſpondeant. Non ignoratis, quam Ille cupiat ardentiſſime, ut humaniores litteræ, liberalesque artes eo in revindicatis hisce regnis florere poſſint modo, quo in aliis ejusdem hæreditariis ditionibus admirandum ferme in modum vigere non ceſſant. Non ignoratis, quam omnis Illius eo collimat ſolicitudo, ut in juventute galiciana æque ac in aliis politioribus Europæ ſuisque populis cultiores mores, humanitas, eaque induſtria efformetur, ex

qua

qua tanquam ex radice omnes utilissimæ nationi universæ artes, vitæque modi honestiores proveniunt: ut, inquam, juventus hæc, ad solidam litteraturam, vera cognoscendarum rerum principia, puræque religionis Majestatem erudiatur.

Ista igitur animis vestris observari, alteque mentibus insidere existimo, ista vobis veluti quoddam calcar futura spero, ut omnem vestram operam, omnem conatum ad id intendatis, quatenus quæ Augustus Josephus laudabilissimo exorsus est principio, quæ opere magnanimo pergit exequi, quorum denique observatione mihi ipsi nihil antiquius, nihil solennius, nihil jucundius potest accidere, quatenus, inquam, hæc cordi, curæque vestræ speciali & esse patiamini, & simul probetis effectu me a vobis ex hoc potissimum fine esse electum.

ORATIO
D. JOANNIS BAPTISTÆ FINSIGER, FACULTATIS THEOLOGICÆ DECANI.

Nobile ſpectaculum! omnium hic video ordinum Viros, omnes lætari, & jubilare, ſenes, juvenes, omnem ætatem & ſexum in admirationem rapi, grato muſicæ concentu reſonare plateas, & fora, hinc Nobilium turmam, illinc eruditorum chorum gravi & modeſto paſſu incedere, ſummum Sacrorum Antiſtitem numeroſo comitatum clero agnum immaculatum offerre adſtante frequenti populo. Hujus inſolitæ pompæ & apparatus tam ſacri quam profani quæ igitur cauſa eſt? oculos ad Excellentiſſimum Cæſareo - Regium Commiſſarium convertamus. Ipſe dicet nobis, non hic agi de trophæis ob victorias in terra mavortia reportatas erectis, non de auſpiciis Romanorum, vel Græcorum oraculis, ex quibus quod lubebat, licebat portendere & augurari. Trophæis quibusque, auſpiciis & oraculis omnibus longe majora nobis hodie attuliſti Excellentiſſime Cæſareo Regie Commiſſarie. Sed quid illud eſt? Eſt profecto, quod nec majus dari, nec gratius adferri, neque avidius accipi poterat. Terras ac provincias populis implere, commercia introducere, ſecuritatem policeri, ac ſuſtinere; & hæc quidem magna ſunt, ſed & his longe majora, hominum videlicet ingenia excolere, mores refor-

reformare, cives salutaribus, & necessariis doctrinis imbuere; paucis: cunctos in aliam & excellentiorem naturam convertere. Hocce est illud donum, ac beneficium, quod nobis hodie PATER PATRIÆ JOSEPHUS AUGUSTUS contulit, Athenæa nempe & musæa. O diem fortunatum & auspicatissimum! Ter felix Galicia, cui tanta sors obtigit, ut munus, quo majus nullum est hodierna die a Munificentissimo Principe accipere promerueris! Romani olim debellatis Argivis, Orienteque in suam potestatem redacto, non tam de pretiosis marmoribus, columnis æneis, aut prodigiosis obeliscis, quam de eruditis spoliis ac monumentis triumphos agebant. Mira prorsus res! non capti a victoribus, sed victores a captis ducuntur in triumpho, sibique non modo artes, sed & leges ipsas dari, non indignantur.

Generosa, ac Nobilissima Galiciæ gens non indiges Tu stimulis nec meis precibus ut nunc jam exultes gaudiis, lætitiamque publice testeris, sed ultro efficies, ut quod olim veteres Romani Tu nunc & illos æmulando, & Tuorum majorum vestigiis insistendo eo pertingas, quoTE AUGUSTUS ire, Te progredi, Teque demum perducere cupit quam ardentissime.

JOSEPHUM multis quidem seculis præiverunt Hadrianus, & Alexander Severus Imperatores, quorum ille Romæ Athenæum fundavit, hic in meliorem reduxit formam. Præclara hæc facinora quum Lampridius, & Capitolinus posteritati commendarent, nunquam disertius, nec majori cum efficacia unquam

aut dixiſſe, aut ſcripſiſſe putares. Et revera quando vel æquioribus, vel magis debitis efferuntur laudibus Principes, niſi cum eam impendunt operam, ut urbs, quæ orbi dominabatur, Academiarum etiam ſplendore pergeret gloriari, eſſetque legum, ac virtutum latiſſimum domicilium & templum. Quod Hadrianus, & Alexander ſuis populis, id genti galicianæ, quam imprimis amat, præſtitit JOSEPHUS AUGUSTUS. Quis tanti, tamquæ excelſi Benefactoris grata in omne ævum non recolat mente memoriam. Dicite, amabo, cur Græci Romanos, Romani reliquos populos, barbaros compellabant? fortaſſis gens cultior, præ minus culta hoc privilegium ſibi jure uſurpat? Græcæ ac Romanæ gentis exempla Galli, Italique & non tam pridem audentiores Germani imitari amant. Ab hiſce magnopere quod ſibi metuat, non habet Polonia noſtra, quæ pridem jam inde, ut ejus teſtantur annales, conniſa eſt eluctari & nunc penitus ut eluctetur, Auguſtus efficaciora ſuppeditat media, majora offert ſubſidia, aliaque plurima commoda quaſi ad manus quam largiſſime porrigit. Profecto dies & tempus me deficerent, ſi de magnis præclarisque Ejus facinoribus vel pauca delibarem, & quis eſt, qui Spartam hanc ita ornet ut de Principe, cujus fama jam per totum qua late patet orbem, pervaſit, aliquid quod dignum ſit Oratore, dicat? deinde eum laudis licet meritæ nec eſſe cupidum nec æſtimatorem, quis ignorat? prætera ſi id vel maxime facere vellem: vel minus de Ejus virtutibus, quod certe fieret dicerem, & culpa non carerem; vel æquo plus, quod tamen vix fieri poſſet, & turpem adulationis notam incurrerem. Quare

re patere Princeps magnanime, ut de argumento ſaltim quod cum præclaris Tuis facinoribus & præſertim cum beneficio, quod nobis hodierna die contuliſti, affinitatem habet maximam coram hoc Excellentiſſimo, Ampliſſimoque Conſeſſu, & Senatu academico pauca quædam pro ingenii mei tenuitate dicere præſumam.

Sed cujusmodi eſt iſthoc argumentum! ſi dixero petendum eſſe ab utilitate & neceſſitate litterarum tam ſacrarum, quam profanarum, jam vos ſpartam hanc a viris ingenii magnitudine & eruditione conſpicuis Mureto, Facciolato, Ferrario, Erneſtio, aliisque prope innumeris ornatam fuiſſe, reponetis & verum reponetis. Sed num idcirco ſi iteratus de eis ſermo haberetur, minus delectari, vel minus prodeſſe cenſerentur? Profecto non. Interim relicto hoc nobiliſſimo argumento de nexu tantum & conſenſione, quæ litteras profanas, ſacrasque inter, & Rempublicam, intercedit, verba ſi modo favere vultis, hodierna die dicturus ſum.

Et revera, niſi omnia me fallant, tantus eſt hic nexus, tantaque conſenſio, ut litteræ ab imperiis nullo modo poſſint divelli. Nam quemadmodum ſine clavo navem invaleſcentibus ventis in ſcopulos illidere, exercitum abſente vel interfecto Duce fundi & interire neceſſe eſt, ita litteræ quum ſint imperii clavus & anima, eas ſi negligis, aut tollis, vel a regimine removes, fieri non poteſt, quin Reſpublica mox langueſcat, ſen-

ſim deficiat, & collabatur tandem, adeo ut hanc ſine illis nec diu ſtare, nec ullo modo eſſe poſſe facile intelligas.

Verum quo clarius perſpiciamus, quam arcte hæc duo ſimul conjuncta ſint, ſeque perpetuo comitentur ac ſequantur, imperia unde ſint, paucis ut inveſtigemus, abs re, qua de agimus, haud alienum eſſe puto. Filiorum ætas tenera, ope indiget aliena, a parentibus percipit alimenta, ſub eorum magiſterio diſcit loqui, cogitare, ratiocinari, mediisque uti ad ſeſe conſervandum neceſſariis. Horum ſervitiorum intuitu liberi ipſa natura duce parentum ſeſe ſubjecerunt imperio. Dein ſublato e vivis communi capite, vel creſcente inſigniter primæ familiæ numero, diviſiones, emigrationesque ultro ſequebantur. Magna namque hæc familia in plures diviſa, ſingulæ ſui juris eſſe volebant. Quæ cauſa fuit, ut in diverſis hisce familiis paſſiones primum & vitia, quæ hominibus inhærent, mox diſſidia, turbæ, bella invicem excitarentur. Quo in ſtatu, quum propius ab interitu abeſſent, ne penitus interirent, ſuapte natura convenerunt, ſibique unum, qui reliquis omnibus præeſſet, delegerunt. Imperia igitur quis ambitione, aut factionibus hominum inſtituta fuiſſe auſit affirmare? Nunquid liberos, fortunas, nosmet ipſos conſervare, injurias repellere fortuito caſui adſcribi oportere, aut vana & inutilia hæc eſſe non nemo dicet? Hæc interim ſatis commode intelligimus, num vero poſtquam jam conſtituta ſunt imperia, mentes hominum quæ ſint, quibus rebus ſtudeant, quæ habeant in honore & quæ ament, mox intelligimus,

aut num internas quoque imperiorum ipſorum neceſſitates & externas facile cognoſcimus? morbos, cauſasque morborum, quibus illa vexantur nunquid perſpicimus? mala quæ Reipublicæ ſæpe imminent, poſſumusne ſine multis vigiliis, & invita minerva prævenire? Hic ego mei ingenii parvitatem ſponte, ingenueque profiteor, at ſimul etiam fidenter aſſero: Reipublicæ hocce malorum, incommodorumque genere agitatæ niſi litterarum antidotis non poſſe ſubveniri.

Quemadmodum vero primitus vel tenui parvæ familiæ pomerio, vel unius tantum civitatis terminis concludebantur imperia, ita artes etiam & ſcientiæ valde anguſtis circumſcribebantur limitibus; antediluviana quidem gens non pauca transmiſerat ad poſteros, ſunt tamen poſt ejus diſperſionem multo plura partim deperdita, partim antiquata, ſenſimque genus humanum in barbariem & ignorantiam prolapſum eſt. Inde miſeri mortales nullo modo niſi introducta rerum ubertate, aliisque vitæ commodis comparatis poterant eluctari. Sapientiam proinde, ubi egeſtas gravis, ubi calamitas, ubi bella, nec ulla, aut pauca ſunt commoda, fruſtra expectaveris. Nonne Ægyptii & ob loci ſitum & ob rerum omnium commoditates primi fuerunt, qui præcepta Rempublicam bene gubernandi, artemque vitæ ſuaviter tranſigendæ, ac populum reddendi felicem inveniſſe feruntur? Hæc quum faciunt, nemo erit, qui eos ſanctioris politices myſteria longa meditatione penitius inſpexiſſe, non fateatur. Illud vero Ægyptios, eorumque Reges præcipue commen-

dare

dare videtur, quod Philosophiæ, & Theologiæ laude, & cultura reliquas omnes nationes longo post se intervallo reliquerint. Statuta nempe ad cultum Deorum spectantia Regni legibus attemperabant, leges contra Religione mitigabant. Utraque in sacris libris, unde sine legitimæ auctoritatis consensu ne latum quidem unguem recedere licebat, quam diligentissime custodiebant. Sapientiæ hujus sacræ, & profanæ studio flagrabant Græci, eoque, ut eam condiscerent, proficiscebantur Pythagoras, Thales, Plato. Solus vero Pythagoras mysteriorum a Sacerdotibus jussu Regis Amasis factus est particeps. Sed cur cæteris fere omnibus arcana hæc tanto studio celentur, nonnemo quæret. Certe cui ingenium est, & otii multum, rerumque noverit statum, & relationes conciliaverit, haud difficulter fortassis intelliget. Sed quot, & quibus datum est divino hoc nectare repleri, hacque cælesti recreari ambrosia? Abdomenes Tyrius, Zoroaster philosophus, Darius Hystaspes, imo Moses ipse ut sibi arcana illa rerum naturæ sacra paterent, quid non moverunt? quæ consilia non inierunt? ad quas aras, & templa non confugerunt? Ad hoc sacrarium propius sine omni dubitatione accedunt Lacedæmonii, & Athenienses; his Ceres prudentiorem, sapientioremque præfecit; illos autem docuit Lycurgus non ut divitiis, aut amplis terrarum tractibus, sed animi magnitudine, libertatis, & honoris studio, ac sapientiæ laude cæteros omnes antecellerent. Cæterorum, qui in hac palæstra inclaruerunt, pressit vestigia Philippus Rex. Hic Princeps suos Macedones vocabat homines liberos, nec eis nisi secundum leges,

easque

easque æquitati naturali consentaneas, haud attento potestatis absolutæ privilegio, imperare cupiebat. Verba sane æterna memoria digna! Vinctis Rex solvit vincula, ut non solum iis, quos libertate donaverat, majori cum gloria imperare posset, sed etiam sibimet ipsi veluti ad cæterorum conditionem demisso imperari pateretur. Et quid impedit, quominus, sicut in Lacedæmonia Ephori, & Romæ Tribuniplebis, ita in Regnis quibusvis ad moderandam Regum potentiam leges principatum tenerent? Felix Respublica, ubi non edicta sed pro edictis leges populis dominantur! Ita profecto. Eodem namque ordine, eademque, qua in imperiis crescit sapientiæ, libertatisque studium, eadem, inquam, ratione non solum Principum gloriam, auctoritatemque augeri, sed eorum etiam decrescere impotentiam, sacerdotii vero tolli fanaticismum, autocratiamque intra ipsum Sanctuarii pomerium restringi, populi demum barbariem, superstitionemque pedetentim deponi, experientia vera rerum magistra, quum homines jam in societatem coire cœperunt, mox docuit. Forsitan Philippum Serta, Mausolæa, aræque, quas primævæ ætates in Asia, & Græcia sapientiæ Cultoribus consecraverant, latere poterant?

Hæc pauca ex remotiore historia depromta monumenta non contradicunt medii ævi Principibus. Trajanus Imperator ipse Philosophus, Orator, poeta, poetas, Oratores, philosophos colloquiis, ac familiaritate dignabatur adeo, ut in disputationibus Imperatorem a Philosopho, & Poeta, Poetam,

& Philosophum ab Imperatore non discerneres. Et Theodoricum Regem vel uno Cassiodoro in consilium adhibito leges cedro dignas, marmoribusque insculpendas toti Italiae dictasse, Orthodoxos non dispari benevolentiae sinu, atque Arianos complexum fuisse, ipsumque, licet Arianus esset, haud parti uni magis, quam alteri, ut sapientem decebat Principem, unquam favisse, quis ignorat?

Vidistis Auditores sapientissimi & in antiquiore, & minus remota aetate, quam arcte sint cum doctrina, & litteris conjuncta imperia, quomodo se juvent invicem, seque perpetuo sequantur, nec alterutrum liceat sine periculo divellere, imo alterum si ab alterius recederet societate, summum foret periculum. Tantae cognationis, & propinquitatis, quae inter potestatem politicam, & sapientiam intercedit, luculentiora adhuc dabo argumenta. Athenis olim aliis pro Democratia, aliis pro Oligarchia, aliis demum pro medio quodam ex utraque commixto regiminis genere pugnantibus, omnia erant perturbata, leges eversae, jura civium contemta, potentes minus potentibus infesti, inferiores qui erant, numero saltem vincere conabantur. In hac rerum, ordinumque omnium perturbatione, quis seditionum flammas, quae certam Reipublicae minabantur perniciem, compressit? Num arma? At haec pridem Athenienses in propria converterant viscera. Num carceres, tormenta, aliaque poenarum genera? At totum corpus erat corruptum, promptaque egebat, ac perita Medici manu. Qua igitur arte, cujusque auxi-

auxiliis horrida hæc tempestas composita est? Solon ille est naturæ humanæ scrutator solertissimus, qui Patriam non armis aut machinis bellicis, sed latis legibus sapientissimis ab hocce crudeli dissensionum liberavit incendio. Et revera minorem vim majori quemadmodum vinci, atterique necesse est, ita majoribus corruptelis, factionibusque grassantibus longe fortiores si opponis sapientiæ clypeos, dubium non est, quin quod moliris, cupisve, opinione citius consequaris, tibique hominem, cui in labyrintho viam monstrabat sapientia, prudentiaque, nunquam a divino Numine derelictum fuisse, facile in animum inducas; e contrario Phocensibus ob sola Apollinis, quæ apud eos ubertim funduntur oracula, superbientibus, & incuriosis quis gloriam, Areopagum, victorias spondeat? Spartanis æque ac Boëthiis ingenio tardis, Corinthiisque, quibus præter lucri cupidinem aliud nihil curæ est, quomodo aut domi a seditionibus, aut foris ab hostium impetu, & telis vitam securam, & tranquillam agere licebit? Ne pigeat ad Philippum Macedonem imperii sui fines inito cum Argivis, & Messeniis in perniciem Atheniensium fœdere proferre molientem redire. Heic incautis Atheniensibus potentiaque longe inferioribus succumbendum erat. Quis periculosa hæc artificia, has insidias, hæc stratagemata manifestavit? cujus auctoritate, & consilio potentia major longe minore contra ipsam naturam devicta est? Quis Argivos, & Messenios ab amicitia Philippi avocavit? Demosthenes summus ille Philosophus, maximus ille Orator est, qui egregiam hanc operam impendit, effecitque, ut Athenien-

ses Principem hunc implacabili posthac odio prosequerentur. Paucis annis post Antipatro Macedoniam gubernante illi ipsi, qui nuper victores erant, Athenienses sub jugum missi sunt. Verum quæ est tam præcipitis mutationis causa? Oratorum præcepta mox contemni, Philosophorum non probari oracula, seditionumque flammæ spretis sapientiæ regulis foveri cœptæ sunt. Quid mirum! si Macedo victor omnium durissimas devictis, & a prudentiæ numine abscedentibus imponebat conditiones! Et quas? Num palatia, Asty, agros, thesaurum, divitias extorquebat? Hæc quidem magnifica sunt, & in summa, ut fit hominum versantur æstimatione. Verum hisce majora petiit Antipatrus. Sed quid illud? Athenæum est nempe, & Areopagus. Ita profecto Auditores sapientissimi! cum Demosthene, & Hyperide summis Oratoribus, & Philosophis, quos Rex stipulatus est, in servitutem abductis, ut Trojam periisse ex Palladio ablato, ita Athenas perituras fore, merito existimabat potentissimus æque, ac perspicacissimus Macedonum Princeps. Quin uno ferme sæculo ante iidem Athenienses cæci, avari, invidi, ambitiosi, cum Socratem, a quo Græcia omnis splendorem suum, & gloriam repetebat, extremo affecissent supplicio, nonne hanc iis malorum, calamitatumque seriem, ipsumque interitum repugnante etiam Apollinis Delphici oraculo portendere licebat?

Sed ut sciatis porro, num indissolubili sint vinculo, imperio illigatæ litteræ, & an non summo in pretio ab iis ipsis Romanis

manis

manis habeantur, non melius quam ex ipſorummet, ut ita dicam, in illas odio percipietis. Poſteaquam enim ii æmulam domuiſſent Carthaginem, ſua arma in ſcripta monumenta tam publica, quam privata converterunt, eaque ad nihilum redegerunt. Proh hominum, ſuperumque fidem! Romani Principes quid agitis? Quo veſtra vos rapit impotens cogitatio? Nonne olim erga hoſtes ipſos humani, nunc quid præter morem in res ſenſu & anima carentes ſævitis? quid volumina ſtilo in ceratis tabulis exarata timetis? Corpora in Bibliothecis recondita quare exhorreſcitis? Hic Minerva armorum, & iræ neſcia, non Bellona implacabilis ſedes ſuas habet: hic altiſſima pax eſt, pacisque agitantur conſilia. At inquient Romani, in libris bellorum, ſtratagematumque & variarum artium exitialia præcepta, Politicesque myſteria, quibus facile abuti poſſumus, contineri. Eſto: Annibalem igitur fortunarum, gloriæ, patriæque veſtræ, ac Nominis Romani hoſtem interficite; at Annibali mortuo, & grammatico parcite: Philinum Hiſtoricum veſtra crimina & furores ad poſteros transmittentem perdite; at Himilconem Geographum, agricolam Magonem ſervate. Sed inveteratum Romanorum in Pœnos odium, nimiusque erga proprios penates amor, malitiæ invidiæque neſcit limites præſcribere, nedum ſervare.

Verum quamvis quid, quantumque hoc in genere ex ſalute imperii tam foris quam domi liceat, perarduum ſit decernere; hominum tamen conditio, populorumque, qui regantur natura, indolesque ſi propius inſpiciantur, difficultatem ſin minus

 tollere,

tollere, minuere tamen licebit. Quandoquidem litteræ, & imperium, ut sæpe vidimus, fere una nascuntur, simul crescunt, mutuo foventur, tamque conjunctim vivere pergunt, ut, num imperium una sit res, altera num sint litteræ, vix queas discernere. Profecto geminos cœlestes non ita, prope dixerim, non Castorem, & Pollucem tam individuos comites Poetæ finxerunt. Utrobique præclara omnia, nihil non sanctum, nihil quod non invitet. Quid enimvero sanctius, aut præclarius quid esse potest, quam cum vir sapiens doctrinæ suæ fructum ita novit applicare, ut Rerum publicarum saluti, totique generi humano prosit. Idcirco intra fines parvæ provinciæ, aut regni unius sibi haud sistendum esse, probe novit; discurrit per orbem universum, hominum ingenia, & mores scrutatur, cunctas cœli regiones peragrat, observatque, quod uni genti convenit, eique proprium est, id alteri nequaquam, aut bene raro posse applicari. Solon mortalium sapientissimus non quod optimum judicabat, suasit Atheniensibus, imo ipsam sapientiam divinam se populi hebræi genio, & capacitati accommodasse legimus. Non Horatium nec Ovidium summos Poetas, æque ac Philosophos hic esse sine laudis præconio prætereundos putem, quorum alter quid hominum humeri valeant, quid ferre recusent, probe dispiciendum judicavit; alter vero meliora videre, probareque, deteriora tamen se sequi profitebatur. Nunquid id illi imperite, & insipienter? aut justitiam, & sapientiam a rationibus abstractis, & metaphysicis & non a commodis, & utilitate, quam eæ populis, vitæque civili adferunt, dimetiendas

esse

esse putabimus? vel fortassis sibi quis in animum inducet, ut Cimonem a Pericle testarum suffragiis, quod Athenienses *Ostracismum* vocant, decem annorum exilio multatum absolvere ausit? Certe sicubi, hic dubio procul viro sapienti magna ingenii virtute, solida pro diversitate regionum, morum & religionum veritatis fundamenta investiganda sunt, ut quid nunc congruat, quidve postea fortassis repugnet, perspicere, ac dijudicare valeat. Nam effici posse, ut omnium gentium, quot in orbe sunt ingenia, & mores in concordiam redigantur, aut in unam cogantur sententiam, quis sibi persvadebit? Religioni tempori, opinioni, dicam prope superstitioni nonnunquam cedendum noverit sapiens, idque clavum imperii tenentibus sapienter svadet, sapientibus persvadet. Rarum, insolensque virtutis sapientiæque exemplum, contraque unum Sabachum, Marcumque Aurelium quot non Sesostres, Cyros, Cambyses, & Nerones antiquior prodit historia!

Id muneris igitur sibi demandatum in primis noverit sapiens, non ut de universi hujus constitutione, deque animorum, spirituumque coelestium natura, quorum veritas, & præstantia facilius credi, quam sciri potest, sese occupet, exerceatque ingenium, sed ut dum in Persarum, Arabumque, & Sinensium Monarchiis versatur, non ita disputet, non ita judicet, non ita arbitretur, prout disputaret, & judicaret, si apud Macedones, & Athenis esset. Illic est pro ratione, ut ajunt, voluntas, nihilque, nisi vi, & despotice peragitur; hic omnia ex lege, ex præcepto, ex

æqui-

æquitate fiunt. Utrobique vero pro ratione Status & constitutione imperii judicat, nec Perſis, & Arabibus Athenienſium, Macedonumque commendat decreta; nec his illorum placita, & arbitria ſvadet. Etenim iſtorum, aliorumque imperiorum natura uti diverſa eſt, ita diverſimode ſcit ſapiens ſua judicia, ſua conſilia, ſua arbitria inflectere, & applicare. In imperiis ita ordinatis nemo quæ hic fiunt, auſit reprehendere, ni poenas ſua temeritate, & audacia dignas, ut Athenis olim & nunc Venetiis conſtitutum eſt, luere velit. Porro attendendum non eſt, quid de ſervitute orientali ſentiant paſſim Europæi. Rerum certe, & conſtitutionis imperiorum orientalium gnari hæc non mirantur, imo ſinminus aperte probant, certe principiis, quibus ſingula reguntur imperia, ſi inſiſtunt, non audent improbare. Nunquid quoſvis morbos Galenus, aut Hippocrates iisdem curabant medicamentis? Nonne vela nunc contrahit, eadem nunc ventis dare pergit Nauclerus? Littora nunc petit, inde nunc ipſe recedit? Agricolæ ſtudia laboresque in anni tempora diſtributos quis non probet? Ita eſt Auditores! vir nempe ſapiens, quod in oriente petiit, repetiitque, in occidente ſpernit, & omittit; quod in Græcia diruit, ædificat in Italia. Inde mirum illud vitiorum & virtutum naturalium, religioſarum & politicarum diſcrimen exortum eſſe videtur. Pleraque noſtris moribus, inquit Cornelius Nepos, ſunt decora, quæ apud Græcos turpia putantur. Quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in convivium? id tamen a moribus Græcorum abhorret. Quin in Aegypto diverſa quandoque, ac

in.

invicem pugnantia Numina in Rempublicam inferebantur, quo populus in partes divisus, ac quique pro suorum Numinum honore, & auctoritate dimicantes nec tempus haberent, nec ansam aut Regibus insultandi, aut Rempublicam turbandi. Gradibus prorsus adversis incedebat Numa Pompilius, tantumque abest, ut Deorum multitudine introducta populum Romanum in factiones scinderet, ut pacem potius & salutem Reipublicæ adferret: populum ferocem bellis assuetum, rationis expertem, nec adhuc veræ Philosophiæ præceptis domandum, ritibus, ceremoniis, religione placavit, mansuefecit, domuit. Hæc inventa si ex vera dimetimur religione, nullus est, qui non damnet, sin ex salute imperii, & beneficio miseris mortalibus collato spectentur, vix est nonnullus, qui eadem non probet, Numasque Pompilios ipsamet falsarum divinitatum impietate invecta benefactores generis humani suo modo non fateatur. Quid quæso, Constantinum M. uni omnium Regi Deo a Patre consecratum perpulit, ut post victoriam a Francis reportatam Apollinis templum, illius Apollinis, cujus jam oracula in aula Diocletiani olim juvenis riserat, & detestabatur, Apollinis, inquam, templum ingrederetur, illique Deo gratum animum de pace imperio ab ipso reddita declararet? Virorum, qui sanctioris consilii, reconditiorisque prudentiæ dicuntur, Annibalis quoque urbes, agros, terrasque inermes ferro, & igne vastantis propositum, & Fabii Max. patientia, in hisque lacrymas, & calamitates Patriæ suæ veluti totidem certissimos salutis nuncios conspicientis celerrima cunctatio in multas ætates exercebit ingenia. Profecto quid in

Numa, quidque in Conſtantino, & in Annibale quid; & quid in Fabio Maximo vel vituperandum, vel laudandum ſit, ille, cui ratio humana, reſpectusque ad ſalutem imperii notus eſt, commodius intelliget. Quare & vir rerum humanarum gnarus donum eſt hujusmodi, quale nec ab hominibus majus deſiderari, nec a ſuperis generi humano præſtantius dari poteſt. Hicce ille eſt ingeniorum, morumque ſcrutator, populorum pacificator, & rector, legum reformator, & conditor, omnium denique arcanorum interpres certiſſimus. Vos eſtis viri ampliſſimi, ac ornatiſſimi interpretes illi, vos rectores illi, vos fulcra illa, ac Reipublicæ columina, vos, inquam, qui me hodie veſtra condecoraſtis præſentia; vos, inquam, non neceſſe eſt, ut ad commenta confugiatis, non inquam, vos hiſce egetis commentis, non Apollinis ambigui oraculis, non colloquio Aegeriæ, non Oanis metamorphoſi. Prætereo ego hic eximiam illam, quam ex familiari cum Muſis & Minerva converſatione adepti eſtis, eruditionem; prætereo magnifica illa ſingularis veſtræ erga Patriam obſervantiæ argumenta; taceo mirabilem illam veſtro judicio, ac æterna epocha dignam EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI DOMINI BETANSKI EPISCOPI PREMISLIENSIS in RECTOREM MAGNIFICUM electionem, Viri duplici ſæculari, & eccleſiaſtico, eoque ſummo honore inſigniti, quorum alterum ei vera pietas, & ſingularis doctrina; alterum prudentia, & rerum late patens notitia peperit; nihil dico de illis, quibus juventutem ad onera Reipublicæ utiliter perferenda, imbuitis, præceptis. Illud tantum quod ſine invidia, &

partium

partium ſtudio dici poteſt, fidenter aſſero. Vos nempe litteras illas, quas majores noſtri multo pepererunt labore, vos non diſpari colitis, fovetis, & conſervatis ſtudio. Efficite igitur, ut earum honos, & decor in dies majora capiant incrementa. Hoc eſt illud, quod a vobis Cives, Princeps, Religio expoſcunt. Quid ſi a litteris nos, vel a nobis litteræ deſtituerentur, an ſine his Rempublicam ab interitu propius abeſſe ignoramus? Id adhuc ſatis intelleximus, melius intellecturi, ſi quædam a contrariis petantur argumenta. Tempora illa, quæ a Chriſto nato ad usque ſæculum IV. fluxerunt, beata erant, & Reipublicæ proficua, & accomodata. Auguſtus, Trajanus, Antoninus Pius, Marcus Aurelius, Alexander Severus — litterati ipſimet, litteratorumque Patroni Rempublicam ſapientiſſime moderabantur; de Græcis, de Parthis, Perſis, Poenis, Germanis, Marcomannis, Quadis de omnibus triumphabant: At Romani cum poſtea litteris fluxa ſubſtituerent, commoda, diſciplinæque mollitiem, omnia ſus deque in imperio verſa ſunt. Panoniam, Rhætiam, Mœſiam, Thraciam, & Illyricum Hunni; Africam, & Hiſpanias Vandali; Italiam provinciarum Reginam debellarunt, & vicerunt Gothi. Cum litteris imperium, & cum imperio litteræ intercidiſſe videbantur, nec in hoc miſero ſtatu ſeu litteræ, ſeu imperium tantas vires habebant, ut ſe quiverint mutuo conniſu a deplorando interitu vindicare. Jurisprudentiæ omnis decor, & dignitas, quam ei favor, & ſapientia Principum, Magiſtratuum ſeveritas, Profeſſorum doctrina, Academiarum celebritas pepererant, paulatim in ſterilitatem emarcuit, & tandem

prorsus interiit. Non amplius Papiriani, non Pauli, vel Africani audiebantur oracula, imo quod mireris ex nobilissima hac scientia, quam olim magna Urbis Romæ profitebantur lumina, postea infimæ, ac vilis sortis homines artem fecerunt. In scholis magistrorum ignorantium nulla auctoritas, adolescentium pravi mores, luxui, commesationibus, ludis, & voluptatibus dediti, nec ullus Mentor, a quo tanta, tamque teneræ ætati perniciosa mala tollerentur, reperiri poterat. O tempora sine litteris! O mores sine Doctore! Quanta igitur sit communicatio, & nexus litterarum cum imperio, nonne ex paulo ante memorata imperii Romani revolutione manifestum fit? Viri Principes videtis quam periculosa, quamque sit exitialis litterarii, & politici nexus dissociatio. Vos itaque, si Reipublicæ vultis salutem, profecto & litterarum optimum statum velitis, necessum est. Nonne Augustos, Trajanos, Aurelios, quorum imperia erant florentissima, in annalibus Tacitianis, & Svetonianis legistis nulli ad promovendas litteras labori, nullisque pepercisse expensis? Et quid vos divini rerum moderarores! in partem contrariam posset abducere, non intelligo. Num inde seditiones, aut conjurationum extimescitis flammas? At Cicero græce, & latine doctus furores Catilinarios restinxit. An civitates depopulari, agros deseri, minui legiones, si mæcenates estis, arbitramini? At Numa Religionis est æque, ac populorum seminator, & parens; Cato summus Orator, & egregius miles, Coriolanus multi agminis dux & agricola, ut nihil de Cæsare dicam, cujus virtus bellica cum litteris quodammodo certabat adeo, ut num-

tot

tot ab Jove clypeos, quot a Dea Minerva acceperit ſapientiæ documenta, omnino neſcias. Num tandem quod aliquam veri ſpeciem præ ſe ferre videtur, imperium cum Philoſophis dividere putatis? Abſint hæc a Vobis conſilia: Philoſophus non imperare, & dominari ambit, ſed docere, & prodeſſe, non dividere imperia, ſed animos potius diſſenſionibus exulceratos, factionibusque diviſos placare, & componere. Non habet igitur Princeps, quod hac parte metuat, imo quando alias maxime metuendum foret, ſicut Agamemnon in expugnatione Trojæ decem Neſtores, ita ipſe Philoſophos, Oratores, Politicos absque ullo periculo exoptabit. Quomodo enim gens hæc, penes quam nonniſi auditorium ſolaque eſt cum ratione conjuncta auctoritas ſine poteſtate, ſine territorio, ſine jurisdictione nocere poteſt? Tantum igitur abeſt, ut inde mali aliquid Reipublicæ imminere poſſit, ut potius Philoſophorum, Oratorum, Politicorum doctrina, eloquentia, præceptis imperia, & Respublicæ roborentur, ſtabiliantur, & amplificentur, nedum minuantur, dividantur, aut labefactentur.

Hæc quum ita ſe habeant, num ſapientia illa, quam a divino accepimus Magiſtro minus fortaſſis amice cum Republica incedet, conſpirabitque? Abſit. Chriſtiana enim hæc ſapientia cum Republica ſemper veluti comes individua ſine æmulatione ſine invidia, ſine ullis artificiis incedebat, ſeque pro ſalute ſuæ ſociæ perſequutionibus, periculis & mortibus exponebat. Quis enim terras idololatria, & ſuperſtitione, aliisque nefandis flagi-

tiis contaminatas expurgavit? Quis Græcos, ac Romanos, Aegyptiosque abrenunciato falsorum numinum cultu ad veram unius Dei cognitionem revocavit? Quis Magistratibus debitam reverentiam, Principibusque omnimodam subjectionem docuit, & præcepit? Quis mala innumera, quibus Philosophi mederi non poterant, sustulit? Nonne Theologia christiana? Hæc profecto illa est, quæ summos Philosophos Platonem, Aristotelem, Zenonem, nedum impium Epicurum, Lucretium, aliosque perversarum doctrinarum magistros, correxit, & confutavit. Quis igitur erit tam vecors, tamque animi impos, ac ingratus, ut eam non amet, non vereatur, nedum contemnat, aut insectetur?

Quanquam prima hæc, & maxime memorabilis epocha, in qua summa sine perturbatione jurium animorum consensio regnabat, Theologiam vehementer commendet, tamen si, quod veritas jubet, dicendum foret, aureæ hujus ætatis intervalla non erant admodum diuturna. Non enim diu post Apostolorum fata ingenio, ratiociniis, Philosophiæ in Religione justo amplior locus datus est. Jam tum modus iste Theologiæ cum Religione cœpit turbari, & ob summam, quæ Theologiam inter, & Rempublicam intercedit, consensionem, dissidia Theologiæ in ipsam quoque redundabant Rempublicam. Ergo inquiet aliquis, omnis eruditio, & Philosophia a Religione, ne sibi, & Reipublicæ obsit, exulare debebit? Non crediderim. Est enim hæc sacræ eruditionis sparta jam passim, & ubique locorum tam ornata,

ac exculta, ad tantumque ſplendoris, & amplitudinis faſtigium perducta, ut, ſi hodie non curaretur, ipſamet Reſpublica ne dum Religio detrimentum incurreret. At beata illa tempora, aurea illa Eccleſiæ ſæcula, quibus animi candor, morumque ſine multis litteris integritas vigebat, commemorare, appetere, & quaſi poſtliminio revocare, quid prohibet? Nihil prorſus. Id cujusvis eſt hominis, & vulgaris: at diverſos diverſarum ætatum ſtatus, variasque relationes, prouti ſunt, perſpicere, tempora, temporumque rationes inire, ſeque, & alios iis accommodare, ſolius viri ſapientis, & laborum, longarumque vigiliarum patientis eſt. Hæc eſt illa ſumma cura, hoc illud ſtudium, in quo omnis ſapientiæ bonique ordinis, ac regiminis poſita eſt vis, & ratio. Sed unde eſt, quod tam contraria experiri fata cogamur? Profecto labor iſte ſuperis tantum, ſolisque viris, ut Soloni, Lycurgo antiquitus, & noſtris temporibus Pombalio, Arandæ, Kaunitio, Tanucio — homine majoribus reſervatus; cæteris ſola relinquatur obſequendi gloria, author ſum. Verum Myſterii hujus, quod quibusdam planum fortaſſis, & vulgare videbitur, ætates retroactæ magnitudinem, gravitatemque patefaciant.

Diviſo haud bonis avibus imperio, fundataque Conſtantinopoli nova Roma primum inter ſe ſacrorum Antiſtites, deinde ipſi Principes nunc unius, nunc partes alterius ſequentes turbandi & aliquando evertendi imperii anſam præbebant, falſo nempe exiſtimantes, uti legiones, ita Theologiam, & Religionem poſſe inflecti, imperari, domari. In Imperio, ubi jura ig-

norantur; ubi poteſtas cum auctoritate, & viciſſim confunduntur quid boni ſperes? Forte Lucani dictum: *Nulla fides regni ſociis omnisque poteſtas Impatiens conſortis erit*, locum aliquem heic meretur. Certe olim apud veteres Romanos utraque erat apud unum poteſtas; Proteſtantes pridem nodum gordium gladio Alexandri præciderunt. Rem haud ita ſe apud nos habere, omnibus compertum eſt. Verum quomodo, quid ſingulis poteſtatum præcipue in caſibus dubiis, cauſisque, ut ajunt, mixtis conveniat, competatque, intelligemus? Aut quæ harum ad rem componendam pro tribunali ſedebit? Profecto ſacrorum Antiſtes quovis in imperio morum cum ſit duntaxat cenſor, malefactorumque conciliator, ejus poteſtatem æque, ac pacificam, cujus ipſe interpres eſt, morum doctrinam, ſi populorum oculos præſtringere, Regumque manus vincire contendit, mox ceſſare, contemnique oportere, ratio ipſa, nedum religio ſuadet. Inſpiciamus interea annales, conſulamusque monumenta, ut quo circiter tempore mutua amicitia, concordiaque cœpta ſit turbari, facilius cognoſcamus. Octodecim annis poſt perſecutiones Chriſtianorum Conſtantinus Imperator anno CCCXLII. templa gentilium clauſit, oracula obmuteſcere fecit, pœnam bonorum, & mortis in hæreticos dictavit; ejusque exemplum ſecutus eſt Theodoſius M. ſicque adverſa Chriſtianorum fortuna haud melior excepit gentiles, & hæreticos adeo, ut Religione mobilius nihil videretur. Valentis Imperatoris edictum, quo orthodoxi jubebantur Arianis dare templum, immane quantum diſtabat a doctrina S. Ambroſii; Juſtini Imp. zelo adverſus Arianos

nos Theodoricus Rex controveniebat; & Justinianus res sacras eo fervore, eaque auctoritate urgebat, ut primi ordinis Antistites ei non potuerint resistere: scripta enim Antistitum orthodoxorum pacis a Monophysitis turbatae causa jubebat condemnari, Vigilius P. condemnabat: Origenis doctrinam, quae a CCC. annis in Ecclesia obtinebat, Imperator jubebat condemnari, Synodus oecumenica condemnavit. Quis praedixisset futurum esse aliquando, ut sicut nunc Justinianea dominabatur Theologia, paucis saeculis post dominaretur Gregoriana, huicque dominationi non solum omnes sacri ordinis viri, sed & Reges ipsi subiiciendi essent? Oraculum mentiri nemo non dixisset.

Habitus hic scientiae sacrae ad Rempublicam passim se se, & ubique prodit. En Donatistarum pertinacia, & furores non conciliorum decretis, non Imperatorum edictis frangebantur! Bonorum confiscatione, carceribus, exiliis, mortibus compescendi erant. Certe Constantinus quantacunque pollebat gubernandi arte, vel non poterat, qua re in imperio nihil miserius; vel non sciebat, qualis, quantaque sit sacrarum litium natura; & hoc an monstruosius aliud vitium in Principe dari possit, omnino ignoro. Nestorianis interea ad Reges Persarum migrantibus, imperium magna tulit damna. Eutyches belli tricennalis ansam dedit. Ejus sequaces provincias ferro, & igne vastabant. Quid consilii capiendum erat Imperatoribus? Monophysitas cum orthodoxis edicto Reipublicae accommodato componere satagebat Zeno; sed non componebat. Heraclius, cum premeretur

a Perſis, eandem cum Monophyſitis, & orthodoxis conabatur inire concordiam; ſed non impetrabat. Demum Conſtans Imp. cum videret provincias ab imperio divelli, atque ab Arabibus uſurpari, ut ſaluti conſuleret imperii, ſilentium utrique parti imponebat; ſed irrito conatu. Profecto qua arte, quibusque conſiliis, & machinis litibus ſacris finem imponas, nos aliquando ignorare, fateamur oportet; ſed illud tamen diffidendum non eſt, quin Arabes Chriſtiani nominis hoſtes magna interea molirentur, quæque moliti erant, licet initio incredibilia viderentur, felici tamen ſucceſſu cum religionis, & imperii interitu ad finem perduxerunt.

Quo in ſtatu quum res eſſent religionis, & imperii, virum ſummum, qui ferret medelam, poſtulabant. Verum neſcio, quibus auſpiciis renunciaretur Leo Iſauricus Princeps, & theologiæ ſacerdotalis, & reconditioris, ſanctiorisque politicæ uti imperitus, ita intemperanti, ac immodico in icones furore eo rem adduxit, ut provinciæ integræ ab illo deficerent, ſeque Longobardorum ditioni ſubderent. Nonne triſti hoc exemplo ſatis edocentur Principes, quid, quantumque poſſit ſuis non contenta cancellis religio ſuadere populis, nec quicquam in ea poſſe alterari vel mutari, quin ſimul ipſa imperia ab imis concutiantur? Nonne Regum Franciæ Henrici II. ſeveritas; Franciſci ejus filii pertinacia; & Caroli IX. imprudentia Huguenottos ad quidvis audendum impulerunt? Belgas quid quæſo, niſi ſacra, ſi ſuperis placet, inquiſitio ad furendum, & rebellandum concitavit?

Poſt-

Poſtquam vero Pipinus, Carolus, Ottones ampliſſimis dominiis, & principatibus donaſſent Eccleſiam, tunc ſummi Sacerdotes, adinſtar minorum Regum fines ſuos proferre moliebantur; ante tamen Longobardorum regnum erat evertendum; Græci Imperatores Italia pellendi; Carolus M. Imperator acclamandus. Duobus fere ſæculis ante Reges in Gallia præſertim, & Hiſpania ab Epiſcopis uncti, & coronati. Hoc modo Reccaredus Hiſpaniæ Rex inauguratus Epiſcopis ſuam auctoritatem in acceptis referebat. Hæc cum fierent, quid magis proclive erat viris ordini ſacro addictis, quam docere, & in ſacris comitiis ſtatuere, ab inunctione, & coronatione Reges, Regumque auctoritatem omnem dependere? Num quibus bella hæc doctrina firmaretur argumentis, ea non poterant in libris divinis conquiri, reperiri, adoptari? At quid hoc rei! aras cum ſceptris in unum coactas quomodo Theocrates, ſi alterutrum quis profanare, turbareque auſit, ab injuriis, inſultibus, invaſione defendet? Theſauris, & peculio caret; legiones, quas obiiciat, non tenet; propugnacula, ex quibus vim vi repellat, nuſpiam collocata ſunt. Nonne conjurationum licentiam, ligas, factioneſque guelphicas, imo ſuperſtitionem ipſam in adverſarium armabit? Immane quantum diſciplinæ ſacræ ab imperii ratione, & reſpectu pergebant diſtare! Tantæ, tamque enormis diſſociationis & repugnantiæ majora veſtigia reperimus in Henrico IV. Hic Imperator cum omnia frigore rigerent ſeminudus coram Gregorio Papa a vinculis, quibus ſe irretitum credebat, petiit abſolvi. Henricus II. Anglorum Rex ob cædem ejus forte

te imprudenti consilio Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi illatam, virgis cæsus; & quem ante hos nominare oportebat Ludovicus Pius Imperator a Clero, & Filiis ad induendum sibi pœnitentis saccum inductus est. Hæc qui frigido, ut ajunt, sanguine audit, vel legit, nihil heic mali subesse, existimabit. Est enim Princeps homo nobis similis, vitiis obnoxius, semper plura habendi cupidus; quid mirum igitur, si virgis cæditur, si in sacco, cinere, & cilicio pœnitentiam agit! Ita profecto est Auditores! Hæc rite & ex ordine facta fuisse, plerique persuasum habebunt, & fortassis sunt inter nos etiam (quod tamen absit) quibus nihil magis, quam id regulis ecclesiasticis videbitur consentaneum. At oppido falluntur utrique; nam hæc horrida Henrici Imperatoris nuditas; hic squalidus, & humilis Ludovici Pii vestitus; hoc publicum Regis Henrici pœnitentis testimonium, quid quæso denotabant? aut quo tendebant? Proh hominum, superumque fidem! Ludovicus regiis spoliatur insignibus, Henrici contemnuntur, ridentur, exsibilantur. Ergo Principes etiamsi sint legum transgressores, nunquamne censuris subiicientur ecclesiasticis? possunt quidem, sed non idcirco etiam debent, nunquam vero cum imperialis, & regiæ Majestatis dispendio, & vilipensione. At Gregoriorum tempora contrarium testantur. Verum tempora ista, quibus Roma sacra plus forte Principibus christianis negotii, quam Troja Græcis, & Romanis olim Carthago facessivit, quis non deploret, dolereque pergat?

Medii,

Medii, qui inter hos moderabantur imperium, Ottones Augusti judicia ecclesiastica exercebant, Summos Antistites deponebant, alios instituebant, Pontificum electionem confirmabant. Otto III. si, ut voluit, Romæ sedem fixisset, forsitan aliquando Gregorius VII. extitisset? aut opinionum portenta, quæ orbi universo interitum ariolabantur, in monasterii penetralibus effinxisset? vel potuissetne fieri postea, ut duæ potestates toto cœlo diversæ invicem pacisceerentur, transigerentque juribus ultro, citroque remissis? Sed & illud mirari subit, quomodo vel sapientissimi Principes in propria viscera sævire potuerint. Utrum fatalis quædam necessitas, an utilitas aliqua Fridericum II. adegerit, ut leges contra hæreticos ferret, viderint alii. At hæc edicta, quibus inquisitionis firmabatur tribunal, quomodo non secus, ac leges Solonis, aut Lycurgi laudari, celebrarique potuerint, prorsus non intelligo.

Satis vidistis Auditores sapientissimi! quam arcte sint disciplinæ sacræ cum imperio conjunctæ; dissensiones, dissensionumque causas non dissimulavimus. Et quomodo illas dissimulare poteramus, quæ passim, & ubique in annalibus leguntur? Angli inveterata odia vel ipsi plebi, proh dolor! tragice repræsentant; Galli sub nomine libertatum ecclesiasticarum ipsismet pueris ausus vaticanos instillant; Germanorum quæ mens sit, tot horrida bella ad asserendam libertatem suscepta, abunde probant.

At gradum tandem ſiſte Orator, ſtillum reprime, in mentemque revoca diem hunc eſſe diem muſis conſecratum, Apollini ſolemnem, Minervæ, quæ coturnos odit, percarum; diem inquam eſſe hujusmodi, quem nullis tragædiarum factis, nullisque narrationibus inviſis liceat funeſtare, aut obſcurare. Ita eſt, non diffiteor, meaque verba, ſi cui minus grata forent, haud dicta velim. At pulſo errore veritas clarior, nube diſſipata Phœbus lucidior eſt. Nonne poſt furentem procellam, ac poſt acre prælium miles, & nauta canunt, lætantur, Diisque Neptuno & Bellonæ libare conſuerunt? Cæterum in hujusmodi ſacris cum Republica diſſenſionibus, ſumma opus eſt circumſpectione, & prudentia. Hæc negotia viros ſummos, & in Politicis negotiis verſatiſſimos occuparunt ſæpe, eorumque ingenia vehementer exercuerunt. Ne dicat igitur vir laicus, ut nonnunquam fit, ſe poſſe rerum ſacrarum ſtudio, & ſcientia carere; imo quæ dixi, æquo, ac pacato animo ſi ſecum ipſe perpenderet, tantum abeſt, ut quæ ſacerdotii ſunt tanquam rem aliquam inutilem, aut ſuperpfluam ſpectaret, ut potius tota mentis, animique contentione ſibi incumbendum foret, ut ſingulas ejus partes pervidere, dignoſcere & intelligere poſſet. Quæ enim ſine ejus cognitione Principi in colliſione cum ſacerdotio verſanti conſilia dabit? Quæ auxilia Reipublicæ ſuperſtitione, fanaticismo, & irreligionis fluctibus agitatæ adferet, ſi ipſemet ſuperſtitioſus, ſi rerum divinarum inops, ſi fanaticus, ſique irreligioſus eſt? quomodo controverſias ex opinionum diverſitate ortas componet, limitesque quos excedere

cedere nemo ausit, definiat? Ne pudeat igitur in castris, quorum Kaunitzii, Pombalii, Arandæ, Tanucii Duces sunt, militare. Res gravis est, & prope dixerim divina, arte eget, experientia, consilio, prudentia, Deorum colloquio. Solones, Lycurgi, Minoes uni Græcorum non sufficiebant genti; Imperiis vero ubi profana a sacris separata quidem sunt; at quælibet tamen potestatum in uno eodemque statu proprium dicitur habere territorium, ipsosmet, ut ita dicam, Deos ne invicem committantur, dilacerenturque, præsidere necesse est. Certe Rautenstrauchius Abbas Braunensis orbi litterario æque ac politico notus in suo præclaro schemate theologico media præsentissima offert, quibus si, uti debemus, fuerimus usi, & porro uti perrexerimus, Theologiam, & Reipublicæ utilem, & omnibus caram, amabilemque absque ullo dissociationis collisionisque periculo faciemus.

Ad TE nunc me converto Principum maxime JOSEPHE AUGUSTE, qui nobis hæc otia fecisti. TIBI, ut debemus, pro isthoc beneficio omnium maximo immortales habemus gratias. Dixi pro beneficio omnium maximo. Quid enim majus est, aut quid utilius miseris mortalibus dari potest quam Athenæis præesse, oracula interpretari, in templo Palladis, quod TU ædificasti, sacra obire; Reipublicæ, cui TU hodie feliciter præes, laboribus nostris prodesse. TIBI Galicia, quidquid in eam inde redundat nunc, & postea redundabit boni, in acceptis jam refert, & semper referet, nunquam TUÆ erga illam beneficen-

tiæ

tiæ oblita, mente grata tanti favoris, & gratiæ argumentum recolet, gratitudinis indicia dabit. Sed quid pro magnitudine beneficii rependemus? Noſtra etiamſi nolis, TUA ſunt; TUA niſi velis, noſtra non ſunt. Nihilne ergo in nobis eſt, quo noſtram erga TE gratitudinem teſtemur? Eſt profecto, quod TU Summe Princeps non poſſis non velle: ſapientiam, prudentiam, patriæ amorem, lætitiam publicam offerrimus, & conteſtamur. Ex ſcholis, quas fundaſti, Poetas, Oratores, Philoſophos, Medicos, Jurisconſultos, Theologos, Sacerdotes, Cives, Politicos, Conſiliarios, Miniſtros, Belliduces prodituros fide in anteceſſum data, ſpondemus. Poeta numeroſus noſtras, & præcipue Auguſti Mecænatis detinebit aures. Orator in concionibus, in Senatu, ubique TUAS laudes deprædicabit; Philoſophus ſapientiam, & conſtantiam, quam a majoribus TUIS quaſi hæreditate accepiſti, non rationibus, quibus TUA virtus ſe ſola contenta non eget, ſed ſola auctoritate ceteris commendabit. Medicus votis, & precibus Aeſculapium fatigabit, & ut Podalyrius, & Machaon in bello trojano, ita & ipſe quovis loco, & tempore populo TUO opem afferet; Jurisconſultus TUAM inſignem juſtitiam, & ut alterum Minoem ſequetur; Theologus quæ Dei & TUA ſunt, docebit. Sacerdos pro TE, TUIque imperii, & populi incolumitate victimam immaculatam Deo Patri immolabit; Civis, quem commercia, & induſtria ditaverint, grato animo dabit tributa; Conſiliarius onera Reipublicæ minuet, eaque ſervata proportione ſuadebit; Politicus civilem ſocietatem arte, & prudentia tuebitur, & conſervabit; Bellidux hoſtem

hoſtem ab urbe arcebit, & expellet; miniſter vocatis in examen hominum ingeniis, moribus, & religione, quæ ex ſalute imperii ſunt, ſtatuet. Denique TE omnes, quotquot ſumus, Mecænatem noſtrum, TE Patrem, TE Benefactorem, TE Semper Auguſtum, TE Magnum prædicabimus.

DIXI.



SONETTO ALLEGORICO
DI D. GIUSEPPE REDI TEATINO.

Un tenero arboscel ſorgere appena
Miro, che rigoglioso alza la fronte,
E di Natura ſempre lenta a fronte
Del nutritivo umor cede alla piena.

Invano il minaccioſo Euro dimena
L' ali, invan l'Aquilon ſtride dal monte:
Quercia annoſa coſi non ſia che affronte
I ſuperbi nemici, ond' ella è in pena.

Fortunato terren, ove ricetto
Ebbè l' alber gentil dono del cielo!
Fortunato Cultor caro agli Dei!

Ah ſi ritolga del miſtero il velo:
Galizia è il tuo Liceo l'albero eletto,
E TU (*) GIUSEPPE il gran Cultor Tu ſei.

(*) S. Eccellenza il Sigre Conte Giuſeppe Brigido Mecenate ſingolariſſimo de' Letterati, ſotto i di cui auſpici è ſtata aperta la Ceſareo-Regia Univerſità di Leopoli.

Oden

Oden

über die

Einführung

der

hohen Schule zu Lemberg

am 16ten Wintermonat im Jahre

1784.

Welch ein Denkmal des Ruhms, dem bei der Richterinn
Großer Fürsten der Welt, die schon dem Thron entsagt,
Da der nüzlichen That spätere Zeiten nur
Dankbar göttliche Lieder erschalln,

Sein erhabener Wert ewig verbleibend steigt,
Hat der Königen Haupt, mächtiger Länder Herr,
Unser weisester Fürst, Vater des Vaterlands,
Joseph sich und dem Volke gebaut!

Heilig sei dir der Tag, Muse! des Saitenspiels
Obschon nicht mehr gewohnt, da man in Löwenburg,
Josephs Machtwort stieg auf, Völker beglückende
Halln der Weißheit und Tugend geweiht.

Heil dir weises Gebot! glänzende Feyer! dir,
Tempel jedes Geschicks! Heil dir Galizien!
Prächtig feyre den Tag deiner Glückseligkeit
Denn er öfnet zur Weißheit das Thor.

Ha! ein herrlicher Sieg, freudig dem Mutter Aug,
Einem Volke den Dunst, der ihm die Wahrheit birgt,
Ganz auf immer zerstreun, trügenden Witz enthülln,
Der uns Gott und dem Fürsten entführt.

Ein Eroberer seyn, weite Gebiethe sehn,
Fels auf Felsen erhöhn, Himmel an Thürme baun,
Deucht dem Menschen zwar groß, doch dem berufnen nicht
Völker Fürst und auch Vater zu seyn.

Der durchdrungen von Gott, scheut des Bedrängten Joch,
Reicht der Armut, der Noth mächtige Hände dar.
Ruft das Leiden umsonst Hülfe vom Göttlichen?
Auch im Schwarm der Geschäfte selbst nicht.

Joseph gehet den Weeg, alle beglückt zu sehn,
Auch dem Jünglinge nun, öffnet der Tempel sich,
Wo die bildende Kunst, höhere Wissenschaft
Ihn dem Staate zum Bürger erziehn.

Diese Feyer voll Pracht kömmt nur dem Tempel zu;
Wo des Bürgers, des Staats Schätze zu holen sind.
Wahrhaft glücklich bist du Vaterland! wenn deine
Söhne Weißheit und Tugend beseelt.

Rührt dich, Galizien, unseres Fürstens That!
Und wie sollt es sie nicht! flöß also Dankbarkeit
Deiner Kinder Herz ein, daß sie den edelsten
Pfad gehn eifrig mit Arbeit und Fleiß,

Du weißts, Joseph belohnt rühmliche Thaten sehr,
Kein Verdienst ist zu stumm, keine Müh unbemerkt,
Und den redlichen Mann, der auch entfernet steht,
Hebt Er mächtig zu Ehren empor.

Soll euch, Väter! die oft Kummer zu Thränen zwang,
Ohne Lehrer das Kind und den erwachsenen
Böß und ohne Geschick, euch ohne Trost zu sehn,
Dieser Tempel der Weißheit nicht freun?

Wenn nun, Galizien! Tugend den Pflüger führt,
Bürger Edelmut lenkt, nüzliche Künste blühn,
Und dein sinnender Fleiß häufige Schätze bringt,
Wirst du furchtbar dem Fremdlinge seyn.

Ausland! kühn zwar genug Thaten zu schilderen,
Aber selten gerecht. Liebe zum Unterthan,
Und der rühmliche Wunsch wieder geliebt zu seyn
Macht den Fürsten erhaben und groß.

Josephs huldreiche That schrecken die Trümmer nicht,
Keine Dauer der Zeit, da noch der späteste
Enkel häufig genug Früchte sich sammeln wird,
Früchte, welche die würdigsten sind.

Groß muß ewiger Lohn jenes Monarchens seyn,
Der wie Joseph sein Volk Weißheit gelehret hat:
Groß auch seye der Dank, Söhne von Halicz, Ihm!
Liebet Joseph den Vater des Volks!

O! Glück von Josephs Macht dir Löwenburg gegeben,
Den stolzen Schwestern gleich zu seyn!
Itzt kann kein Vaterland nach wahrer Größe streben,
Sich ganz der Weißheit Fülle weihn.

Wie prächtig, Ehrfurchts voll betritt ein Zug die Hallen,
Wo jeder Wissenschaft und Kunst,
Getreuer Unterricht der Weißheit wird erschallen,
Wo schon verschwindt der Thorheit Dunst.

Ein Zug von Männern ists voll Tiefsinn, voll Gedanken,
Voll Eifer, der, was Nutzen bringt,
Uns lehrt, ermahnt, und zeigt, wie von des Blödsinn Schranken
Man sich zu hoher Kenntniß schwingt.

Er ists der Männer Mann, Er führt den Zug der Weisen,
Bestimmend mit vertrauter Macht,
Der hohen Schule Tag, der sie gebährt, zu reisen
Mit Feyer, Jubel, Dank und Pracht.

Und da Er ihren Sitz beginnt mit Wunsch zu segnen,
So segnet ihn auch Gottes Hand.
Ihr wird dieß Wohl, dieß Glück, und dieser Ruhm begegnen,
Den sein erhabenes Herz empfand.

An seiner Seite steht ein Mann von großen Gaben,
Voll Liebe zur Erziehungs-Pflicht.
Wie viel Er that, ihr wißts, o daß wir Ihn stets haben,
Von deßen Stirne Weißheit spricht!

So steigt mit Zuversicht, o Lehrer, eure Wege,
Bis zu dem höchsten Ruhm empor!
Von eurem Geist erwacht schon der von Unmuth träge,
Schon horchet euch des Jünglings Ohr.

Das Vaterland.

O! Haupt der Fürsten der Welt, du machst nach herrlichen Gaaben
Mir selbst die Fülle der Weißheit zu Theil.
Mit hohen Schulen begabt, wo jede Künste zu haben
Seh ich vollendet mein glänzendes Heil.

Dir Joseph, gütiger Fürst! dank ich mit seeliger Liebe
Am Tage, da diese Schulen entstehn:
Da das Verlangen erfüllt, in meinen Söhnen die Triebe
Zur Weißheit nützlich entflammet zu sehn.

Denn bald nach thätigen Fleiß, nach Mühe weniger Jahren
Ist ganz mein drückender Mangel entfernt,
Den ich an weiserer Lehr, an großen Werken erfahren,
An Männern, welche die Künste gelernt.

Wie schwer, ich muß es gestehn, wars mir den Hohn zu ertragen,
Den Hohn vom Ausland, das rühmlicher war.
Denn seiner Lehre den Sohn zu widmen, konnt ichs nicht wagen,
Als mit der schrecklichsten Sitten Gefahr.

Doch von ihm kaufte die Noth auch meine wenige Zierde,
Nebst der mich eigener Werke zu freun.
Noch lag im Schlafe vertieft des Bürgers edle Begierde
Kein Opfer fremder Verdienste zu seyn.

Nur war der Fremdling geschickt durch Künste Schätze zu werben,
Durch Künste glücklich und furchtbar gemacht:
Und eigne Söhne sah ich bei vollen Früchten verderben,
Ja selbst bei Haufen von Golde veracht.

Doch itzo weiß ich gewiß, daß **Josephs** weisester Wille,
Der stäts von meiner Bedürfniß gerührt,
Den vaterländischen Wunsch, und alle Hoffnung erfülle,
Zu sehn, die Jugend zur Weißheit geführt.

Nun wird ein neueres Volk aus meinem Volke sich zeigen,
Und eigner Kinder geübter Verstand
Wird machen, daß ich nicht muß mein Haupt dem Fremdlinge neigen;
Sie reichen selbst mir die helfende Hand.

Denn Männer werden entstehn geschickt Gewerbe zu leiten,
Zu bessern nöthige Mittel und Zucht.
Um auf dem eigenen Grund der Werke Stoff zu bereiten,
Den man auf fremden mit Aufwand gesucht.

Dort werden jene die Kunst der Bürger Wunden zu heilen,
Der Körper Wohlseyn und Kräfte verstehn.
Und andre werden sich nicht durch Unverständniß verweilen,
Das Recht in strittigen Fällen zu sehn.

Der weis durch gründlich Gesetz der Bürger Rechte zu wehren,
Und der die Wohlfart dem Staat zu verleihn.
Und jener kümmert sich stets, wie mein Vermögen zu mehren,
Der Dürfniß Gaben befriediget seyn.

Doch was hilft alles Geschick, und alle Wohlfahrt auf Erden,
Wenn keine Tugend der Bürger besitzt.
Kann wohl durch Schätze das Land, durch Güter glücklicher werden,
Wenns sie mit Tugend und Weißheit nicht nützt?

Doch

Doch seh ich einige schon sich weihn mit heiligem Muthe
Der Glaubens-Kenntniß und höheren Kraft.
Die andre weislich bestimmt mit Lust zu lehren das Gute,
Das allen edle Gemüther verschaft.

Auf! Kinder eifert mit Fleiß zu lernen Weißheit und Tugend,
Und fühlt, wie **Joseph** der Vater euch liebt.
Auf! Söhne zieret erfreut mit jenen Schätzen die Jugend,
Die **Joseph** Herrscher und Vater euch giebt.

Von Ihm bekam ich dieß Glück, dieß Wohl, dieß rühmliche Leben,
Und was noch würdigen Wünschen gefällt.
Wohl diesem Lande! dem Er als Fürst vom Himmel gegeben,
Wohl dem! das **Joseph** zum Vater erhält.

